De discriptione regni Achaemenidarum

scripsit

PAUL KRUMBHOLZ.

Beilage zum Jahresbericht 1890/91 des Carl Friedrich-Gymnasiums in Eisenach.

EISENACH

Hofbuchdruckerei.

1891

1891. Progr. Nr. 665.

De Asiae minoris satrapis persicis quae tradita sunt quoniam singulari libello Lipsiae anno 1883 edito colligere atque digerere conatus sum, ea quoque, quae de reliquis regni persici satrapeis apud scriptores exstant, conquirere meum esse putavi. Sed paene substiti in his studiis, cum nuper in viri doctissimi commentatione (A. Philippi, einige Bemerkungen über den philologischen Unterricht. Giessen. Rektoratsrede 1890 S. 38) legerem verba Voltairii ‚si vous n'avez autre chose à nous dire sinon qu' un barbare a succédé à un autre barbare, — en quoi êtes-vous utile au puplic?' Quid? quae ipse eram facturus, nonne erant eius generis, quod Francogallorum philosopho ingenioso valde displicuerat? eratne metuendum, ne alii viri docti eodem fere modo iudicarent? Quae cum apud me reputarem, tamen rem susceptam absolvere constitui, quia hanc operam non plane inutilem fore animadvertere mihi videbar. Duabus autem imprimis causis satrapearum regni persici fata persequenda esse putavi: primum quia admodum infirmae de eis sunt virorum doctorum sententiae, qui quae quoque tempore fuerint regni provinciae minime consentiant. Quae cum ita sint, tum quia primum apud Persas quantum scimus certa provinciarum discriptione regnum firmatum est, his rebus lucem afferre operae pretium esse videbatur. Accedit quod etiam ad scriptorum graecorum libros rectius interpretandos hac via non nihil effici posse sperare licuit. Quae causae num sint probabiles alii iudicabunt. Ego vero si nunc accedo ad propositum, noli quaeso mirari, quod ab regni persici exitu proficiscar. Nemo enim nescit praeter primorum regum Persarum res gestas minime obscuras esse Persarum res ultimas; ita praeter Herodoti librum tertium satrapearum divisionem optime cognovimus ex libris scriptorum rerum Alexandri.

Qui quamquam satrapearum tabulam, qualem praebet Herodotus, in libros suos non receperunt, tamen cum in rebus gestis enarrandis singulorum Darei satraparum saepe mentionem fieri necesse esset, et nomina et provincias tot locis commemoraverunt, ut de totius regni discriptione non male doceamur; quare is qui adhuc unus fere nonnulla accuratius de satrapeis scripsit, Heeren (Jdeen über die Politik etc. 1815 I 1 S. 166 ff.) ea, quae de regni persici administratione collegit, imprimis hausit ex Arriani anabasi aliisque scriptoribus Alexandri, qua via eum secutus est Spiegel, Eran. Altertumskunde I p. 228 sqq. Itaque si et ipse nunc ab Alexandri vel Darei Codomanni temporibus proficiscens has res retractabo, id agam, ut discriptio regni persici quae erat ultimis temporibus comparari possit cum tabula Herodotea. Simul autem ut pateat, quae nota sint de singularum satrapearum praefectis, qui inde a Darei Hystaspis filii temporibus usque ad a. 334 provinciis praeerant, eis, quae de singulis Darei Codomanni satrapis exponam, subiungam ea, quae de aliis satrapis quam accuratissime conquisivi.

De ultimis igitur regni persici temporibus qui certissima vult cognoscere, eum Arriani anabasin adire oportere nemo nescit; quare nos quoque imprimis sequemur Arrianum, cui quin omnino fides sit habenda nequaquam dubito. Quod satis appareat, si adhibeas Curtii de Alexandro libros,

qui cum de satrapeis ab Alexandro institutis non neglegendus sit, de Darei praefectis, qui ex Arriani libris nobis noti sunt, saepe plane tacet, ut si ex illius opere regni discriptionem colligere cogeremur, in tenebris versaremur. Cuius rei causa maxime posita est in mutilato eius operis statu, cuius perierunt libri primi; sed accedit illud quod scriptor minus diligenter utitur satrapae titulo, ut utrum intellegat satrapas an alios regis praefectos saepe ignoremus. Ut semel — nisi erro — Darei praefectum nomine satrapae appellat, VI 6, 36 ubi ‚satrapes — inquit — erat Drangum Barzaentes' (quod scripsit Modius pro codicum nominibus Barzaenses sive Barzanenses); quocum loco confer Arr. III 21, 1: *Βαρσαέντης ὁ Ἀραχωτῶν καὶ Δραγγῶν σατράπης;* saepius quidem hoc titulo utitur eis locis, ubi commemorat praefectos ab Alexandro institutos. Praeterea quin nomen satrapae adhibeat locis, quibus revera de satrapis non agitur, ego quidem non dubito; vide VIII 2, 19 ubi Sisimithres vocatur satrapes, quod idem improbat Grote hist. of Greece (vers. germ. VI p. 589), et VIII 4, 21 ubi Cohortandus sive, quod secundum Zumptium voluerunt editores, Oxyartes vocatur satrapes nobilis, de quo iterum consentio cum Grotio p. 590. Aliis locis praetor apud Curtium idem est quod satrapa ut III 11, 10, ubi satrapa vocatur praetor Aegypti; sed non semper hoc sensu legi nomen praetoris docet IV 5, 13. Denique pro satrapae titulo utitur titulo praefecti, quem eodem modo adhibuerunt alii scriptores, qua de re cf. de satr. p. 17, 1 vel Nipperdey ad Corn. Nep. (ed. mai.) Con. 2, 4. — Quae cum ita sint, Arrianus satrapae titulum omnibus nisi fallor locis ita adhibuit, ut cur de recto vocabuli usu dubitemus nusquam habeamus; unum autem quod monui altero loco (de satr. p. 76 n. 2) hic repeto, vocabulum *ὕπαρχον* ab Arriano non eodem semper usu adhiberi, cum sit aut idem quod satrapa aut satrapae legatus aut praefectus urbis (cf. IV 22, 4) aut gentis alicuius, quae est sui iuris, praefectus sive princeps indigena.

Cum autem eis locis, ubi satraparum nomina praebent et Arrianus et Curtius, plerumque inter se consentiant, aliter res se habet in Tapuris, quorum satrapam vocat Arr. III 23, 7 *Αὐτοφραδάτης,* cum apud Curt. VI 4, 24 ei nomen sit Phradates sive nomen simplex (cf. Bréal, de pers. nomin. apud script. graec. Paris 1863 p. 9). Quin etiam sunt loci, quibus Curtius succurrat Arriano, ut nos ex illius libris ea, quae hic tradit, complere possimus; ut Curt. IV 12, 9 magnum Caspiorum agmen in Persarum exercitu adfuisse narrat Phradate duce; quem Phradatem esse illum Tapurorum satrapam, cuius modo feci mentionem, cum admodum sit verisimile, Caspii sine dubio sunt ei, qui vicini erant Tapurorum (de quorum sedibus cf. Kiepert, alte Geogr. § 70), quare Dareus eos tribuit satrapeae undecimae. (De duabus Caspiorum gentibus, quas nominat Herodotus, cf. Stein ad Her. III 93). — At cave, ne Phrataphernem illum, quem Chorasmiis praefuisse Curt. VIII 1, 8 dicit, fuisse satrapam putes, fortasse Parthorum (cf. Arr. III 23, 4); nam quamquam olim Chorasmii paruerunt Persis, id quod docent et inscriptiones Darei Behistanae, quibus commemoratur ‚Uvârazmiya', et Herodotus (III 93), qui eos una cum Parthis tribuit satrapeae XVI, Darei Codomanni temporibus certe satrapa eis non praeerat, quare virorum doctorum alii eos omnino defecisse a Persis putant (cf. A. v. Gutschmid, Geschichte Jrans p. 10), alii de condicione Chorasmiorum, qua tunc usi sint, satis certe iudicari non posse recte contendunt (cf. Sieglin in tabulae regni persici a Kieperto pictae recensione: Deutsche Litt.-Zeit. 1890 n. 24 p. 887). Phratafernes autem ille a Curtio commemoratus sine dubio est Pharasmanes, qui ab Arr. IV 15, 4 nominatur *ὁ Χωρασμίων βασιλεύς;* fortasse dignum est mentione, quod etiam satrapae Phratafernis filio nomen erat Pharismanes sive Phradasmenes (Arr. VI 27, 3. VII 6, 4.) — Sed adibimus libros Curtii, si quaeremus de Susianorum satrapa. Nam cum sane sit verisimile Susianorum fines ultimis Persarum temporibus ut temporibus Herodoti satrapae alicui subditos fuisse, *Σουσίων σατράπης* commemoratur ab Arr. III 16, 6; quis fuerit

disertis verbis scriptor non dicit. Abulitem quendam Persam fuisse satrapam, praesertim cum in pugna ad Gaugamela commissa Susianis (et Uxiis) praeesset Oxathres Abulitis filius (Arr. III 8, 5), fortasse colligas ea ex re, quod Alexander eum praefecit Susianis (Arr. III 16, 9), quorum erat satrapa donec interfectus est (Arr. VII 4, 1). Satrapam vero fuisse Abulitem docent Curt. V 2, 8, qui eum vocat regionis (Susorum) praefectum, et Diod. XVII 65, 5, qui commemorat *Ἀβουλήτην τὸν σατράπην*, quae ipsa nominis forma legitur Plut. Alex. 68. — Jam Plutarchi vita Alexandri et Justini historiae nobis quidem nullius fere momenti sunt, cum perpauca ex eis haurire possimus aliunde ignota; item ne Diodorus quidem, quamquam satis amplo libro res gestas Alexandri descripsit, ita saepe certa praebet, praesertim cum et ipse paulo neglegentius satrapae titulo utatur. Qui cum Mithrenem, qui erat *φρούραρχος τῆς ἀκροπόλεως τῆς ἐν Σάρδεσι* (Arr. I 17, 3), vocet satrapam (XVII 21, 7), errore sine dubio est ductus, cum etiam Dio Chrys. or. LXXIII p. 389 R. recte narret: *παρὰ Δαρείου Μιθράνης τὴν Σάρδεων ἀκρόπολιν παρέλαβεν.* Item falso Harpalum illum notissimum, qui Alexandri erat quasi quaestor (cf. Arr. III 6, 4 sqq. 19, 7), Alexandri satrapam nominat (XVII 108, 4), hac quidem in re consentiens cum Plutarcho, qui in vita Alexandri c. 35 eum *τῆς χώρας (Βαβυλωνίας) ἐπιμελητήν* fuisse dicit, quo munere in regno Alexandri functus est Mazaeus (Arr. III 16, 4), post eius mortem Stamenes (ib. IV 18 3).

Atque haec quidem praemittenda esse existimavi; quaeramus nunc quas in satrapeas Darei Codomanni temporibus regnum Persarum divisum fuerit.

1. **Persis** igitur, quae terra temporibus Darei Hyst. f. ut regum et populi Persarum patria satrapae non paruit (Her. III 97: *ἡ Περσὶς δὲ χώρη μούνη μοι οὐκ εἴρηται δασμοφόρος· ἀτελέα γὰρ Πέρσαι νέμονται χώρην*), alia erat in condicione ultimis regni temporibus, quibus satrapa aliquis etiam huic regioni erat praepositus. Iuvat autem commemorare iam ante Darei regni discriptionem secundum scriptores Graecorum in Perside quoque satrapas fuisse; dicit enim Her. III 70 fuisse *Περσέων ὕπαρχον* i. e. satrapam (cf. de Asiae min. satr. pers. p. 4 sq.) Darei patrem Hystaspem, quem in inscriptione Behistana II, XVI (ed. Spiegel. Lips. 1862) Dareus ipse narrat in Parthia fuisse ibique seditionem pacasse; satrapam eum ibi fuisse id quod vult Ed. Meyer, Gesch. d. Altert. I p. 613, unusquisque colligat neque vero pro certo demonstret. Ctesias item Cyri patrem Atradatem *σατράπην Περσῶν* fuisse tradidit secundum Nic. Dam. fr. 66 (F. H. G. III 399 cf. R. Schubert, Her.'s Darstellung d. Kyros-Sage. Bresl. 1890 S. 64), cum apud Iust. I 7, 1 Cyrum initio regni Sybaren ‚coeptorum socium' Persis praeposuisse legamus. — Sed haec mittamus! Dareo Codomanno denique regnante Ariobarzanes satrapa erat Persarum (Arr. III 18, 2); qui quomodo ad Persidis portas Alexandro resistere conatus sit, eodem fere modo narrant Arr. III 18, Curt. V 3, 16 sqq., Diod. XVII 68; differt Polyaenus IV 3, 27 (cf. A. Fraenkel, d. Quell. d. Alex.-Histor. p. 215 sqq.) ab aliis, cum pro Ariobarzane nominat Phrasaortem *Δαρείου συγγενῆ*. Quod quomodo factum sit facile cognoscas; pro Darei satrapa nominavit satrapam ab Alexandro in Persis institutum (cf. Arr. III 18, 11). Sumptus est hic Polyaeni locus secundum Petersdorfii sententiam (e. neue Hauptquelle d. Curt. 1884) ex libro nobis ignoto, quo bonorum atque malorum scriptorum de Alexandro narrationes comprehendebantur (cf. Melber, Quell. u. Wert d. Strateg. d. Polyaen.: Jahrb. f. Phil. Suppl. Bd. XIV p. 615 sq.)

2. **Lydia et Jonia** uni paruerunt satrapae Spithridati de quo cf. de satr. p. 70 sq.; hic adicio eius nummos descripsisse Imhof-Blumer, Porträtköpfe auf antik. Münzen hellen. u. hellenisierter Völker 1885 p. 23.

Qui satrapae ante Alexandri tempora his provinciis praefuisse putandi sint vide de satr. p. 93; ubi num nonnullorum nomina sint delenda — quod voluit Lenschau de reb. Prienensium. Lips. 1889

p. 137 sqq. — alio loco quaeram; hic id moneo unum fortasse esse addendum Pythagoram (cf. Imhof-Blumer p. 22), qui ante Pissuthnem i. e. ante a. 440 satrapeae Lydiae praefuisse videatur.

3. **Cariae** satrapa erat Othontopates (de satr. p. 83) Persa (Arr. II 5, 7), qui *τὴν Καρῶν ἀρχὴν ἐκ βασιλέως πεμφθεὶς εἶχε* (ib. I 23, 8); satrapam vero eum fuisse satis constat cf. Nöldeke Gött. Gel. Anz. 1884 p. 297. (Liceat hic conicere idem nomen persicum esse restituendum Ctes. Pers. § 14, ubi in editione fragmentorum Ctesiae, quae nuper prodiit [1888] Gilmorii legitur *Νορονδάβατης*!)

De aliis Cariae satrapis cf. de satr. p. 78—85.

4. De **Lycia** satrapea res est paulo obscurior. Nam cum proficiscendum sit a verbis Isocr. Paneg. § 161, qui dicit *Λυκίας οὐδ᾽ εἷς πώποτε Περσῶν ἐκράτησεν*, etiam Treuber, Gesch. d. Lykier p. 102 satrapis Lycios paruisse negavit. Leges autem in singulari capite eius libelli, quae fuerit Lyciorum sub regno Persarum condicio; qui primum a Dareo Hyst. f. primae satrapeae adscripti (Her. III 90) Xerxe duce Persarum in Graeciam expeditioni interfuerunt (ib. VII 92). Quo facto cum a Persis defecissent et ad foedus Atheniensium maritimum accessissent (Diod. XI 60), testatur Thuc. II 9 eos iam initio belli Peloponnesiaci in Persarum dicionem redisse, cum in numero sociorum Atheniensium desiderentur. Denique cum in Asia minore magna illa satraparum seditio orta esset (Diod. XV 90), Lycii quoque rebelles erant, fortasse usque ad id tempus, quo Maussolo Cariae satrapae parere coacti sunt (de satr. p. 81). Iam exstant Lycii nummi, in quibus conspiciuntur satrapae persici (cf. Imhof-Blumer p. 24), quos putat Treuber, qui sequitur M. Schmidtii et Sixii sententias, esse Arttuambara (= *Ἀρτεμβάρης* cf. Keiper, Perser d. Aesch. p. 73) et Ddennefele dynastas, qui ut qua sint in regem fide demonstrent Persarum veste utantur. Mihi quidem verba quaedam Arriani, quae Treuber leviter modo tetigit non parvi momenti esse videntur de Lyciae condicione. Arr. enim I 24, 5 *ἡ Μιλυὰς* inquit *ἔστι μὲν τῆς μεγάλης Φρυγίας, ξυνετέλει δὲ ἐς τὴν Λυκίαν τότε, οὕτως ἐκ βασιλέως μεγάλου τεταγμένον* (de nomine *Μιλυάς* cf. Treuber p. 21); quae verba sine dubio id docent, Milyada paruisse regi, et cum tributa in Lyciam mittere iuberetur, coniunctam fuisse aliquo modo cum Lycia provincia. Itaque cum Lyciae a rege Milyas adiungeretur, dubitari minime potest, quin Lycia i. e. ea Lyciae pars, quae regi erat subiecta, non solum nonnullorum dynastarum dominationi paruerit, sed etiam unius praefecti imperio sit comprehensa; porro certe non Lyciae adscripta esset Milyas, si Lycia satrapeae alicuius pars, non ipsa satrapea fuisset. Quae cum ita sint, cogimur quodam-modo putare tunc praefuisse Lyciae unum magistratum persicum, satrapam, cui singularum urbium dynastae erant subditi. Num iisdem de causis H. Droysen (d. Münz. d. pers. Satr. in Kleinasien: Ztschr. f. Numism. II 1875 p. 312) Alexandri temporibus Lyciam et Pamphyliam cum Milyade unam fuisse satrapeam existimaverit equidem nescio.

5. **Phrygia minor** provincia ab Arriano diserte secernitur a Phrygia maiore verbis *Φρύγες ἀμφότεροι* (V 25, 4); ita Arsites ab eo nominatur *τῆς πρὸς Ἑλλησπόντῳ Φρυγίας ὕπαρχος* (I 12, 8), de quo cf. de satr. p. 75 sqq.; ubi verisimile esse exposui Paphlagoniam quoque huic satrapae paruisse (Sed vide Ed. Meyer, d. Königreich Pontus p. 29 sq.). Eodem illo loco oportuit commemorari verba Curtii III 1, 23, qui ‚omnis haec regio, inquit, <Paphlagonum et Henetorum> paruit regi datisque obsidibus tributum, quod ne Persis quidem tulissent, pendere ne cogerentur impetraverunt.‘

De prioribus huius satrapeae praefectis cf. de satr. p. 93.

6. **Phrygiam maiorem** Alexandri temporibus suo oboedisse satrapae iam non nego. Nam cum ab Arriano, quem titulo satrapae proprie uti persuasum habeo, Atizyes (de quo cf. de satr. p. 71) *Φρυγίας σατράπης* vocetur (I 25, 3), Nöldekii doctrinae adsentior, qui Gött. Gel. Anz. 1884 p. 293 sq. Phrygiam maiorem ipsam satrapeam fuisse iure suspicatus est. Quae sententia fortasse fulciri potest

ea re, quod Alexander quoque duas Phrygiae satrapeas instituit, qua ratione consuetudinem servabat Persarum (cf. Arr. I 17, 1: *Κάλας σατραπεύει ἧς Ἀρσίτης ἦρχε* et I 29, 3: *σατράπην ἀποδείξας Φρυγίας Ἀντίγονον τὸν Φιλίππου*).

Huius provinciae satrapae fuisse putantur:

Epixyes ille a Plut. Them. 30 commemoratus (*σατραπεύων τῆς ἄνω Φρυγίας* cf. de satr. p. 60 n. 2), qui dum Themistocles in Asia versatur, Phrygiae praeerat.

Artacamas vocatur *ἄρχων Φρυγίας* in [Xenophontis] anabas. VII 8, 25, quare satrapam eum fuisse existimat Lenschau p. 150 sq.; quod quamquam ipse (de satr. p. 58) eum Phrygiae *ὕπαρχον* Cyri fuisse fortasse rectius opinatus sum, non praetermittendum putavi. *Ἀρτακάμαν* item apud Xen. Cyrop. VIII 6, 7 Cyrus narratur misisse *εἰς Φρυγίαν τὴν μεγάλην;* quo loco qui praeterea commemorantur satrapae plane sunt ignoti.

Ariaeus *σατράπης* appellatur a Diod. XIV 80, 8, qui Tithraustem in Phrygiae urbe Colossis eius opera Tissaphernem cepisse tradit (cf. Polyaen. VII 16, 1); satrapam eum Phrygiae fuisse coniecit Lenschau p. 151.

Arsames *Φρυγίας τῆς μεγάλης κρατῶν* a rege defecisse dicitur a Polyaeno VII 28, 2; qui si fuerit satrapa, facillime quarto a. Chr. n. tribuatur saeculo, quo satis multos satrapas a rege defecisse notum est (cf. de satr. p. 78, 1).

Restat Strabonis locus p. 766 C., ubi nominatur *Μιθρωπάστης ὁ Ἀρηΐνου τοῦ Φρυγίας σατράπου;* utrum satrapa vere fuerit hic Areinus paulo ante Alexandri in Asia adventum an cum Stielio sit scribendum *Ἀρσίτου,* quis est qui diiudicet?

7. **Cilicia**, quo tempore Alexander in Asiam transiit, satrapea erat Arsamis, de quo vide de satr. p. 77 sq.; cuius nomen fortasse in nummis quoque exstat cf. Six, le satrape Mazaeos: numism. chronicle 1884 p. 111 n. 21. De satrapis, qui antea ibi erant, cf. de satr. p. 93; accedunt si sequeris Nöldekium l. l. p. 297 sq. et Six l. l. p. 114 sqq. secundum nummos Pharnabazus, qui intra annos 387--373 Ciliciae praefuisse videtur, et Tarcamus, quem olim vocabant Dernem aut Datamem viri docti (in nummis ‚roi pour les Grecs et les Ciliciens, satrape pour les Perses‘ Six.); satrapa erat ante Mazaeum i. e. ante annum 362, quo tempore ei fortasse Cyprus quoque insula paruit.

8. **Aegyptus** quoque, quo tempore Alexander eam intravit, a satrapa persico gubernabatur; ad Issum Sabaces *σατράπης Αἰγύπτου* in pugna cecidit (Arr. II 11, 8. — Curt. III 11, 10 cll. IV 1, 28: Sataces praetor Aegypti; quid Diodori codices XVII 34, 5, ubi *ὁ τῆς Αἰγύπτου σατράπης* nominatur, praebeant ignotum est; fluctuant editores, qui scribunt aut *Στασιάκης* aut *Σταβάκης* aut *Τασιάκης*). Cui successisse videtur in satrapea Mazaces *ὁ Πέρσης ὃς ἦν σατράπης Αἰγύπτου ἐκ Δαρείου καθεστηκώς*; verisimile est eum satrapeae esse praefectum, cum Sabaces ut exercitus persici parti praeesset ex provincia revocaretur (Arr. III 1, 2. Curt. IV 1, 32 et IV 7, 4, ubi codices habent ‚astace praetor Darei‘). — De Cyrene, quam Dareus Hyst. f. (Her. III 91) adscripsit sextae i. e. Aegyptiae satrapeae, confer Thrige, hist. Cyren. (Hauniae 1819) p. 218, qui probabile esse iudicat Cyrenenses Persarum dominationi, cui post a. 479 paruisse eos nusquam proditum invenimus, prorsus sese subtraxisse.

Qui praeterea sint noti satrapae Aegypti persici, bene exposuit Wiedemann, aegypt. Gesch. II p. 666 sqq.; quare paucis verbis rem hic ita absolvam, ut eis, quae ex illius libro sumpsi, pauca quaedam apponam.

Aryandes iam a Cambyse *τῆς Αἰγύπτου ὕπαρχος* factus hoc munere fungebatur etiam Dareo regnante (Her. IV 166); discrepat Ctes. Pers. § 9, qui Combapheum eunuchum, qui multum valuerat

apud Aegyptiorum regem, patria prodita Aegyptiis praepositum esse tradit; quem cum Phane illo Herodoteo (III 4) componendum esse censet Wiedemann. — De expeditione ab Aryande adversus Barcen missa cf. Her. IV 164—205. Polyaen. VII 34. VIII 47 (Thrige p. 190: ca. a. 512). Cur denique a Dareo sit interfectus narrat Her. IV 166 cf. Hesych. s. v. *Ἀρυανδικόν* (Brandis, Münzwesen p. 219). Apud Polyaen. VII 11, 7 legimus *Ὀρυάνδρου* (de nominis forma cf. Oppert, Journ. Asiat. IV 18 p. 564. Gutschmid, Kl. Schr. I p. 172 sq.) *τοῦ σατράπου τὴν ὠμότητα* non ferentes Aegyptios defecisse. Tunc Dareus ipse in Aegyptum venit; quod quo fuerit tempore non satis constat, cum Wiedemann p. 678 tribuat a. 517, Unger (Kyaxares u. Astyages: Abh. d. Bayr. Akad. XVI p. 312 sq.) a. 493.

Aegyptiis, qui iam Dareo vivo defecerant a Persis (Her. VII 1), rursus domitis (VII 7)

Achaemenes Xerxis frater *ἐπιτροπεύων Αἰγύπτου* erat (a. 484), donec ab Inaro Libye, qui a Xerxe defecerat (a. 460) necatus est (Arr. VII 7. III 12); praeerat idem Aegyptiis in bello persico (Her. VII 97), non Arsames (cf. de satr. p. 30, 1. Nöldeke l. l. p. 298). Cum Herodoto ut solet pugnat Ctesias, qui dicit Pers. § 32 *πέμπει* <*Ἀρτοξέρξης*> *Ἀχαιμενίδην τὸν ἀδελφόν .... συμβάλλει πόλεμον Ἴναρος πρὸς Ἀχαιμενίδην .... καὶ θνήσκει Ἀχαιμενίδης*; qua in re vide quae adnotet Gilmore p. 161; si satrapa erat tunc Xerxis frater, eum in Aegyptum mitti necesse non erat. Diod. XI 74, 1 *στρατηγὸν ἐπὶ τὸν πρὸς Αἰγυπτίους πόλεμον Ἀχαιμένην* vocat, qui exercitu parato *κατήντησεν εἰς Αἴγυπτον;* apud Justin. prol. III dux appellatur ‚Achamenes' (hanc voluit nominis formam Gutschmid secundum Brit. cf. Hakhâmanis inscr. Behist.).

Ubi Aegyptii, quibuscum diu tunc pugnatum est (cf. Wiedemann p. 690), in ditionem Persarum redacti sunt,

Sarsamas est *Αἰγύπτου σατράπης* a Megabyzo institutus Artaxerxe Longimano regnante (Ctes. Pers. § 35; errant Schol. ad Ar. av. 484: *Μεγάβαζος ... σατράπης Δαρείου ὁ τὴν Αἴγυπτον ἑλών).* Quod Polyaen. VII 28, 1 commemorat Arsamen, qui Barcaeos oppugnaverit, Wachsmuth Rhein. Mus. XXXIV p. 156 sqq. apud Ctesiam *Ἀρσάμης* scribere voluit nescio an iure. Qua denique condicione tunc usi sint Thannyras et Pausiris non apparet (Her. III 15).

Secydiano in Persis regnante (424) Arxanes *ὁ Αἰγύπτου σατράπης* ad Ochum defecit secundum Ctes. Pers. 47.

Post hoc tempus iterum defecisse commemoratur Aegyptios (Wiedemann p. 693); a. 350 demum Artaxerxes Ochus eos rursus subicit, *σατράπην* autem facit Pherendatem (Diod. XVI 51).

Restat ut afferam unum locum Arist. oec. II p. 1352^a 9 (ed. Berol.), ubi legimus: *Εὐαίσης Σύρος Αἰγύπτου σατραπεύων .... ἐκρέμασεν ἅπαντας.* Hunc totum librum ab Aristotele abiudicandum esse satis notum est (cf. Göttling, Arist. Oecon. Jenae 1830 p. XVII sqq. Zeller, Philos. d. Griechen II^3 2 p. 105); exempla autem quae insunt ex Alexandri et diadochorum sumpta sunt temporibus, quibus librum scriptum esse coniecit Bergk, griech. Litt.-Gesch. IV p. 496 n. 238. Itaque num sit satrapa persicus Euaeses contendere non ausim; nam cum eodem in libro vocabulum *σατραπεύειν* certe pertineat ad Macedonum aetatem (1351^b 36, 1352^a 16), hoc quidem vocabulo nihil demonstratur.

9. **Susianorum** satrapeae ultimis regni persici temporibus Abulitem praefuisse iam supra demonstravi. Accedit quod in pugna ad Gaugamela commissa Abulitis filius et Susianis et Uxiis illorum vicinis praeerat (Arr. III 8, 5), apud Arr. III 17, 1 autem legimus Uxios planitiem incolentes Persarum satrapae paruisse, non montanos; verisimile igitur est Susianorum satrapae Uxios quoque subiectos fuisse, ut Alexander (Curt. V 3, 16) ‚Uxiorum gentem subactam Susianorum satrapae contribuit'. Quod existimem, quamquam idem Curt. V 3, 4 ‚Madates, inquit, erat regionis <Uxiorum>

praefectus'; Diod. XVII 67, 4 ipse quidem Madetem Darei propinquum Alexandro in Uxiorum finium aditu restitisse narrat, num praefectus fuerit Uxiorum non dicit.

Anaphem a. 480 Susianorum fuisse satrapam conieci de satr. p. 30.

10. **Tapuris**, quorum Herodotus mentionem non facit, Darei Codomanni temporibus satrapam praefuisse, Autophradatem sive Phradatem, item supra docui; quamquam in pugna ad Gaugamela commissa una cum Parthis Hyrcanisque Parthorum satrapae imperio parent. Autophradati illi Alexander cum Tapurorum (Arr. III 23, 7) tum Mardorum terram administrandam tradidit (ib. III 24, 3. IV 18, 2).

11. **Bactrianorum** satrapam, dum Alexander Persis bellum infert, Bessum fuisse nemo nescit (Arr. III 8, 3, Diod. XVII 73, 2 *σατράπης*, Curt. IV 6, 2 praetor, V 8, 4 praefectus vocatur). Hunc secundum Arrianum l. l. ad Gaugamela Sacae quoque, qui Darei Hyst. f. temporibus una cum Caspiis satrapeae quintae decimae erant (Her. III 93), sequuntur *οὐχ ὑπήκοοι*, ut ait Arrianus, *οὗτοι Βήσσου ἀλλὰ κατὰ συμμαχίαν τὴν Δαρείου*. Quae cum ita sint, nullius certe momenti est, quod unus ex aulicis apud Curt. V 9, 5 ad regem ,Bactra, inquit, intacta sunt, Indi et Sacae in tua potestate'. — Magis dubium est, utrum Sogdiani in eadem satrapea fuerint ac Bactri. Nam cum Dareus Hyst. f. eos cum Parthis Chorasmiis Ariis in una satrapea coniunxisset, ad Gaugamela Besso duce pugnant secundum Arr. III 8, 3; Curtius quidem (IV 12, 7 sq.) cum Persis et Mardis eos Orsinem Ariobarzanem Orontobatem (vel Othontopatem?) duces secutos esse tradit. (Hunc Orsinem a septem illis Persis oriundum fuisse Curtius commemorat; cuius viri loco cum Arr. III 8, 5 nominet Otanem, nemo non meminit Otanis illius, quem Her. III 70 unum ex septem fuisse dicit quemque inscriptio Behistana IV, XVIII vocat Utâna). Item Alexander Bactros et Sogdianos eidem satrapae commisisse videtur. Nam cum Artabazus, cui Bactra Alexander administranda tradiderat (Arr. III 29, 1. Curt. VII 5, 1) propter senectutis molestias muneris officiis esset liberatus (Arr. IV 17, 3. Curt. VIII 1, 19), Clitus ille notissimus, quem rex huic satrapeae praeficere voluit (Curt. l. l.), dixisse traditur (§ 35) ,Sogdianam regionem mihi attribuis totiens rebellem et non modo indomitam, sed quae ne subigi quidem possit'.

De Bactrianae satrapis omnino in libro profundae doctrinae pleno non pauca olim collegit Th. S. Bayerus hist. regni Graecor. Bactriani (Petropoli 1738) p. 22—24; nonnulla igitur adicio, quae aut illum fugerunt aut tunc nota esse non poterant. Recte autem iudicat Th. Nöldeke, Aufs. z. pers. Gesch. p. 84, 2 saepe aut semper fere satrapas Bactrianae fuisse regis cognatos; qua in re commemoranda sunt verba Dionis Chrysost. or. VI p. 197, qui fortasse ex fonte puro haurit, cum dicit hieme regem Persarum interdum in Bactriana esse versatum.

Iam igitur ante Darei regni discriptionem Cambysis frater Tanyoxarces Bactris satrapa fuisse dicitur; cf. Ctes. Pers. § 8: *Κῦρος μέλλων τελευτᾶν .... Τανυοξάρκην .. ἐπέστησε δεσπότην Βακτρίων τῆς χώρας καὶ Χωραμνίων καὶ Παρθίων καὶ Καρμανίων, ἀτελεῖς ἔχειν τὰς χώρας διορισάμενος;* ubi an Nöldekio (Aufs. p. 26) sit credendum Ctesiam de regni divisione a Cyro constituta narrasse, ego quidem dubito; *ἀτελής* enim Babylonia quoque satrapea quondam erat cf. Her. III 160. In Xenophontis autem institutione Cyri Tanyoxarces praeficitur Medis Armeniis Cadusiis (VIII 7, 11).

Tanyoxarci successit in satrapea secundum Ctesiam § 11 Sphendadates, quo nomine Cnidius appellat Gometem.

Iam eo tempore, quo Dareus Hyst. f. rerum potitus seditiones in singulis regni provinciis sedabat, secundum inscriptiones Behistanas (III, III) Dâdarschis Persa Bactrianorum erat satrapa.

Quis deinde, cum Dareus vita decessit, satrapa fuerit licet nisi fallor conicere ex verbis Plut. apophth. regg. s. v. *Ξέρξης* (ed. Bernard. II p. 4): *Ξέρξῃ τῷ Δαρείου περὶ τῆς βασιλείας ἀμφισβητῶν*

ὁ ἀδελφὸς Ἀριαμένης κατέβαινεν ἐκ τῆς Βακτριανῆς. Quod enim decendit ex Bactriana, id indicare videtur satrapae officio ibi Ariamenem functum esse. Huius Xerxis fratris Herodotus mentionem non facit; satis autem similia sunt nomina Arsamenes et Arsames, quae in stemmate Achaemenidarum nobis occurrunt (cf. Stein ad Her. VII 11).

In bello persico secundo Bactrianis (et Sacis) praeest Hystaspes ὁ Δαρείου τε καὶ Ἀτόσσης, Xerxis frater (Her. VII 64); quem quamquam satrapa non vocatur, si Nöldekii sententiae supra commemoratae meminerimus, satrapam fuisse non negabimus.

Post hoc bellum ὕπαρχος τῶν Βακτρίων erat (Her. IX 113) Masistes Xerxis frater; qui quomodo perierit legimus Her. IX 108 sqq.

Xerxes quoque deinde filio hanc provinciam tradiderat, si quidem fidem habemus Diodoro; qui quo tempore Xerxes esset interfectus, tertium regis filium Hystaspem non adfuisse narrat: εἶχε γὰρ τὴν ἐν Βάκτροις σατραπείαν (XI 69, 2).

Regnante Artaxerxe Longimano Artapanus quidam — nomen ipsum Achaemeniden indicare videtur — Bactrianae satrapa erat; rebellione facta vincitur (Ctes. § 31).

Valde denique dubito, num hoc loco commemorem Saripadaten, quem Luynes (essay sur la numismatique des satrapies et de la Phénicie. Paris 1846) p. 42 sq. in nummo quodam, quem in Bactriana a. 432 editum esse suspicatur, invenisse sibi videtur. De hoc nummo quid senserint viri docti post Luynes, rei nummariae ut imperitus equidem nescio; de hac re alii iudicent.

Unum hic commemoro Bessum quoque propinquum fuisse regis Persarum (cf. Nöldeke Aufs. p. 84, 1).

12. **Arachosiae** satrapa erat in bello adversus Alexandrum gesto Barsaentes, qui in pugna ad Gaugamela commissa et Arachotarum et Indorum, qui in montibus habitabant, dux erat (Arr. III 8, 4); idem ab Arriano Ἀραχωτῶν καὶ Δραγγῶν σατράπης (III 21, 1 cf. 25, 7: κατεῖχε τὴν Σαραγγαίων χώραν) appellatur (cf. Curt. VI 6, 36). Num Indi quoque illi huius satrapeae fuerint dubium est; Alexander quidem eis satrapam praefecisse videtur. (Arr. VI 16, 3 c. adn. Sintenis.)

Satrapa Arachotarum iam a Dareo commemoratur in inscriptione Behistana III, IX sqq.; tunc Vivâna Persa eos, qui seditionem contra Achaemenidas moverant, compluribus pugnis devicit. Contra Herodotus Arachotarum nomen non novit, quamquam non dubium est, quin Darei Hyst. f. aetate paruerint praefecto satrapeae septimae (Stein ad Her. III 91), cuius copiis a. 480 praeerat Artyphius Artabani filius (Her. VII 66); satrapam eum ipsum fuisse non abhorret ab omni probabilitate (cf. de satr. p. 30).

13. **Parthi** tunc cum **Hyrcanis** in unam satrapeam erant coacti (Strabo p. 514 C.), cui praeerat Phrataphernes (Arr. III 23, 4), qui in pugna quoque harum gentium dux erat (ib. III 8, 4). Cui Alexander, quamquam primum uni ex Parthis Amminaspi (Arr. III 22, 1 cf. Curt. VI 4, 25) satrapeam tradere voluerat, satrapeam totam reddidisse videtur (cf. Arr. V 20, 7).

I. Parthis una cum Bactris secundum Ctesiam olim praefuisse Tanyoxarcen supra commemoravi. Dareus ipse in inscriptione Behistana II, XVI narrat patrem Vistâçpa in Parthis fuisse et eos, qui a rege defecissent, vicisse; quare satrapam eum fuisse verisimillimum est.

II. De Hyrcaniae autem satrapis haec commemoranda sunt:

Cyro regnante Astyages ipse genti Hyrcanorum praepositus esse dicitur (Iust. I 6, 16); Ctesias (ap. Tzetz. chil. I 1, 82 cll. Pers. § 5) quidem Βαρκανίων ἄρχοντα eum vocat (cf. Büdinger, Ausg. d. med. Reichs p. 27: Sitz.-Ber. d. Wien. Akad. 1880 Bd. 96.) Sed de hoc nomine licet dubitare; nam Kiepert (alte Geogr. § 70) et alii alteram esse formam nominis Hyrcaniae putant, sed Diod. II 2

Βορκανίους praeter Hyrcanos commemorat et Curt. III 2, 5 sq. (De Curtii et Diodori necessitudine vide quae disputavi in Mus. Rhen. XLI 1886 p. 321 sqq.). Praeterea cf. St. B. s. v. *Βαρκάνιοι, ἔθνος τοῖς Ὑρκανοῖς ὅμορον.*

Βαρκανίων σατράπης Megabernes quoque nominatur (Ctes. § 8), qui a Cyro moriente institutus esse dicitur. (Eodem loco Spitaces appellatur Derbicum satrapa, de qua gente vide Ctes. fr. 29 Gilmore p. 135).

Num Megapanus, qui a. 480 Hyrcanorum dux erat, fuerit satrapa (cf. de satr. p. 30) incertum est.

Artaxerxe autem Longimano regnante Ochus, qui postea cum rex esset Dareus vocabatur, *Ὑρκανίων σατράπης* erat (Ctes. § 44); qua in re erravit Nöldeke Aufs. p. 84, 2, qui Ochum Bactrianorum satrapam fuisse dicit.

14. **Arios** denique suum habuisse satrapam satis constat testimonio Arr. III 8, 4. 25, 1, qui Satibarzanem vocat *Ἀρείων σατράπην* (cf. Curt. VI 6, 13 cll. § 20).

Quoniam igitur dixi de quattuordecim satrapeis, de quibus testis est fide dignissimus Arrianus, quaeramus nunc, quae praeterea ultimis regni Achaemenidarum annis satrapeae fuisse videantur. Neque vero dubium est, quin aliae provinciae satrapas habuerint; nam cum tunc etiam Persis praefecto pareret, verisimillimum est omnes regni partes vere domitas satrapis traditas fuisse.

15. Ac primum quidem quaerendum est de **Syria**, de qua provincia quaestio nisi erro est difficillima. Ut enim constat secundum Her. III 91 a Dareo Hyst. f., cum primum totum regnum in satrapeas discriberet, quintae satrapeae adscriptas esse *Φοινίκην πᾶσαν καὶ Συρίην τὴν Παλαιστίνην καλεομένην καὶ Κύπρον,* ita has regiones Dareo Codomanno quoque paruisse notum est. Nam et Cypriorum et Phoenicum naves in Darei classe fuisse testatur Arr. II 13, 7 (*Γηρόστρατος ... καὶ οἱ ἄλλοι οἵ τε τῶν Φοινίκων καὶ οἱ τῶν Κυπρίων βασιλεῖς ... Αὐτοφραδάτῃ ξυνέπλεον)* et I 18, 7, quo loco *τὸ τῶν Κυπρίων τε καὶ Φοινίκων ναυτικόν* validissima classis persicae pars fuisse dicitur (cf. II 20, 1—3). Sed verba modo allata simul docent et in Cypro insula et in Phoenice his temporibus reges regnasse, id quod de prioribus temporibus aliunde satis notum est. Accedit quod legimus apud Arr. III 8, 6 Mazaeum in pugna ad Gaugamela commissa ducem fuisse *τῶν Σύρων τῶν ἐκ τῆς κοίλης καὶ ὅσοι τῆς μεταξὺ τῶν ποταμῶν Συρίας.* Itaque quamquam satrapa harum regionum nusquam apud scriptores rerum Alexandri commemoratur, tamen licet suspicari hic quoque praefectum i. e. satrapam institutum fuisse, cuius imperio complurum regum potestas contineretur. Atque nunc quaeramus num demonstrari possit fuisse satrapam in Syria cis Euphratem sita et quibus imperaverit terris. Sed cum eius quaestionis pars, quae ad Alexandri tempora pertinet, quantum ego intellego diiudicari non possit, nisi hac tota re tractata, priora quoque tempora perscrutemur.

Qua in re nihil magis est dolendum, quam quod de nominis Syriae usu scriptores veteres valde differunt, quod recte iam cognoverat Heeren Ideen I 1 p. 213, cum diceret saepe commutari nomina Syriae et Assyriae, ut Syria non solum esset terra inter Euphratem et mare internum sita, sed etiam Mesopotamia et Babylonia hoc nomine significarentur. Plerumque autem nomen intellegendum esse de terris ab Euphrate ad occidentem vergentibus et alii et Spiegel Erân. Altertkde I p. 229 recte dixerunt. Diligentissime denique rem tractavit Th. Nöldeke *Ἀσσύριος Σύριος Σύρος* (Herm. V p. 443 sqq.), quem ducem optimum sequi iuvat. — Sed ad finem certe non perveniremus, si Xenophontis Ctesiae Diodori Curtii verbis freti certi aliquid invenire studeremus. Ut enim Herodotus quo loco satrapearum et quintae et nonae ambitum significat, qui earum fuerit finis non dicit, ita scriptores illi ubi nominant Syriae satrapam de Syriae nominis usu plane tacent. Sed ne multa! equidem mihi persuasi Syriae terris cis Euphraten sitis, quibus adnumero Palaestinam et Phoenicen (Nöldeke

Herm. V p. 452) unum praefuisse satrapam. Sunt autem causae, cur hac in re Achaemenidarum temporibus, id quod initio erat institutum, retentum esse colligam, ut ‚Abar Nahara‘ quod dicunt uni pareret praefecto.

Atque primus huius provinciae satrapa nobis quidem notus nisi fallor erat Tattenai. Nam cum Serubbabel altero Darei regnantis anno Hierosolymis templum aedificare coepisset, eo advenit Tattenai, satrapes provinciae cis Euphratem sitae, qui eos ab incepto arceret (B. Stade, Gesch. d. vorchristl. Iudentums. Onckensche Sammlung Bd. II S. 121 ff.); nominatur idem a Iosepho arch. XI 4, 4 (ed. Didot.) *Σισίνης ὁ τῆς Συρίας καὶ Φοινίκης ἔπαρχος*, quem iam Cyri temporibus ibi fuisse dicit XI 1, 3.

Licet addere Mazaeum, qui et ipse quondam erat ‚satrape de la Ciseuphratique et de la Cilicie‘ (cf. Halévy: Mélanges d' épigraphie et d' archéologie semitiques. Paris 1874 p. 64 sqq.; Nöldeke Gött. Gel. Anz. 1884 p. 292 n. 2), id quod docent nummi. Qui si habes fidem Sixii sententiae (le satrape Mazaeos p. 101), qui de nummis eius docte disputavit, iam ante annum 360 Tarcamo in satrapea succedens Ciliciae est praefectus, post annum autem 351, ubi Belesys ex Syria discessit, Syriae satrapes factus est ‚en gardant le gouvernement de la Cilicie, dont l'administration semble avoir été confiée à Arsamès‘. Mazaeus igitur, quem supra commemoravi ad Gaugamela ducem fuisse *τῶν Σύρων τῶν ἐκ τῆς κοίλης καὶ ὅσοι τῆς μεταξὺ τῶν ποταμῶν Συρίας*, eodem munere functus esse videtur, quo olim Tattenai, fuit ‚Peḥa‘ in ‚Abar Nahara‘.

Huc denique pertinet Adaeus, qui Nehemiae temporibus i. e. circiter a. 445 isdem terris praefuit, cum vocetur a Iosepho arch. XI 5, 6 sq. *ἔπαρχος τῆς Συρίας καὶ Φοινίκης καὶ Σαμαρείας* (cf. Bertheau, Esra Nehemia Ester. Lips. 1862 p. 139); quacum sententia fortasse pugnare videtur, quod praeter Adaeum commemorantur *οἱ ἄλλοι ἔπαρχοι* (§ 7). Sed et hic locus et verba, quae XI 5, 2 exstant (*ἔπαρχοι τῆς κοίλης Συρίας καὶ Φοινίκης*), num neglegentiae cuidam Iosephi tribuenda sint, qui quaestiones de Syriae administratione satis difficiles non perspexerit, vix diiudicem. Itaque mihi quidem constat non solum Darei Hyst. f. sed et Artaxerxis Longimani et Ochi temporibus unum satrapam toti Syriae i. e. terris ciseuphraticis praefuisse, quam ob rem non dubito nominibus modo commemoratis adiungere Syriae satrapas aliunde notos.

Post Tattenai igitur illum huic satrapeae praefuit Megabyzus. Narrat enim Ctes. Pers. § 33—41 Megabyzum ut Aegyptiorum seditionem pacaret ab Artaxerxe missum terram subegisse, deinde autem ad aulam regiam reversum ubi inimicitias cum rege suscepisset petivisse, ut sibi in provinciam suam Syriam abire liceret (*ᾐτήσατο ἐπὶ Συρίαν τὴν ἑαυτοῦ χώραν ἀπιέναι*); ubi a rege defecit anno fere quinto ut videtur (§ 36), postquam seditio pacata erat. Quare circa a. 450 Megabyzus Syriae satrapa fuisse putandus est; cui opponitur disertis verbis Babyloniae satrapa a Ctes. Pers. § 38.

A Megabyzo, cui fortasse successit Adaeus, statim ad Anabasis tempora progrediendum est. Atque tunc satrapam fuisse aliquem Syriae testis est Diod. XIV 20, 5, qui narrat Cyrum militibus contra quem proficiscerentur quaerentibus respondisse *ἐπί τινα σατράπην τῆς Συρίας;* Xenophon quo loco eiusdem rei facit mentionem (I 3, 20) Cyrum facit respondentem: *ὅτι ἀκούει Ἀβροκόμαν ἐχθρὸν ἄνδρα ἐπὶ τῷ Εὐφράτῃ ποταμῷ εἶναι .... πρὸς τοῦτον οὖν ἔφη βούλεσθαι ἐλθεῖν.* Idem Abrocomas a Xenophonte aliis quoque locis commemoratur; nam cum unus esset ex tribus regis ducibus (I 7, 12), qui in pugna Cunaxensi exercitui regio praeesse debebant, ubi Cyrus Syriae faucibus appropinquavit, (I 4, 5) *ἀναστρέψας ἐκ Φοινίκης παρὰ βασιλέα ἀπήλαυνεν ἔχων ὡς ἐλέγετο τριάκοντα μυριάδας στρατιᾶς.* Sed quo munere functus sit nusquam scriptor diserte profitetur, satrapam eum nisi fallor nemo appellat nisi Suid. et Harpocr. s. v. *Ἀβροκόμας· οὗτος σατράπης ἦν Ἀρταξέρξου τοῦ Περσῶν βασιλέως.* Quaeritur igitur utrum satrapa Abrocomas fuerit necne, nam copiarum ducem eum solum fuisse nescio

an sit cur neges, praesertim cum appelletur *Συρίας ἄρξας* Belesys (Anab. I 4, 10), cuius regia ad Dardapis fluminis fontes sita commemoratur. Idem Belesys *Συρίας καὶ Ἀσσυρίας ἄρχων* vocatur in ultimis anabasis paragraphis (§ 25), quas spurias esse satis notum est, quo loco una commemoratur Dernes *Φοινίκης καὶ Ἀραβίας ἄρχων*. Ubi quid sit *Ἀσσυρία* (Babylonia praeterea nominatur), se ignorare profitetur Nöldeke Herm. V p. 456; se scire putat Schrader Ztschr. f. Klschrforsch. I p. 18 (équivant au nord de la Mesopotamie). Neque vero recte iudicavit Six p. 100 n. 9, qui censet satrapeam quintam intellegi nominibus Phoenices et Arabiae; non Dernes sed Belesys quintae satrapeae praefectus tunc fuisse videtur, praesertim cum in hac satrapea postea inveniatur idem nomen.

Nam cum regi Persarum a. 351 (Diod. XVI 42) bellum esset gerendum cum Phoenicibus, dum ipse exercitu in Babylonia coacto iter facit in Syriam, Phoenicen invadunt Belesys *ὁ τῆς Συρίας σατράπης καὶ Μαζαῖος ὁ τῆς Κιλικίας ἄρχων*, qui ab hostibus victi se recipere coguntur. Eundem esse satrapam, qui Xenophontis temporibus commemoratur, vix putem; fortasse filius patri in satrapae munere successit.

Post Mazaeum Brocubelum denique in Syriae satraparum numero nominari oportet, quamquam a Curtio modo commemoratus satis certis subsidiis carere videtur; narrat enim scriptor V 13, 11 Brocubelum Mazaei filium Syriae quondam praetorem Alexandro Bessum persequenti pauca eum stadia abesse nuntiavisse. Licet suspicari patrem et filium a Curtio esse commutatos; sed si quis putet paucis annis post patrem Brocubelum Syriae satrapeae praefuisse, ego quidem quomodo reiciam ignorem.

Alios quos huc referam satrapas non habeo; nam quod Polyaenus VII 14, 1 verba facit de Teribazo Cypri satrapa, non dubito quin erraverit in hac re scriptor, quem satraprae nomen minus diligenter adhibuisse docent praeterea verba VII 10; ceterum de hoc loco cf. de satr. p. 64, 1, ubi Polyaenum belli Cypriaci a Teribazo gesti memorem vocabulo *σατράπης* abusum esse opinatus sum. — At in Phoenice, ubi reges sub Persarum imperio regnasse nemo nescit, satrapas fuisse nonnulli loci demonstrare videntur! Ac primum quidem de Abrocoma iam quae sint difficultates exposui; equidem cum Belesyn satrapam fuisse existimem, nisi aliunde Phoenicen tunc suo paruisse satrapae demonstretur, eum copiarum ducem fuisse opiner. Sed quis non intellegit, quantopere his in rebus impediamur neglegentia scriptorum, qui nec magistratuum nec terrarum nomina satis caute adhibeant, quare nos ad coniecturas et minus certas opiniones reicimur? Item quod Dernem illum *ἄρχοντα* vocat *Φοινίκης καὶ Ἀραβίας* [Xenophon] anab. VII 8, 25, non magni est momenti; nam si veri aliquid insit in his paragraphis, idem iudicem, quod de Phrygiae Lydiae Cappadociae praefectis illo loco commemoratis olim (de satr. p. 58) proposui, non tam satrapas sed *ὑπάρχους σατραπῶν* intellegendos esse. Facilius autem mihi persuadeam reges Phoenices satrapae paruisse, qui praeter Phoenicen aliis quoque praeesset provinciis, quam in ipsa una Phoenice et reges regnasse et satrapas. Sedes autem in Phoenice satrapas interdum habuisse Diodorus dicere videtur (XVI 41, 2): *τῶν δὲ σατραπῶν καὶ στρατηγῶν ἐν τῇ Σιδωνίων διατριβόντων καὶ κατὰ τὰς τῶν πραγμάτων ἐπιταγὰς ὑβριστικῶς καὶ ὑπερηφάνως προσφερομένων τοῖς Σιδωνίοις ... ἔγνωσαν ἀποστῆναι τῶν Περσῶν ...* (§ 5) *κατάρχοντες δὲ τῆς ἔχθρας τὸν μὲν βασιλικὸν παράδεισον, ἐν ᾧ τὰς καταλύσεις οἱ τῶν Περσῶν βασιλεῖς εἰώθεσαν ποιεῖσθαι ... διέφθειραν.* Quo loco etiamsi recte adhibeat Diodorus vocabulum *σατράπης*, tamen Phoenicen suum habuisse satrapam minime patet. Itaque *Συρίας σατράπας* Phoenicae quoque imperasse existimo. — Item Palaestinae ‚Peḥa‘ qui praeerat Iudaeis (de voce ‚peḥa‘ cf. Gesenius hebr. Hand-Wtbch.[10] p. 675) non erat satrapa, sed *ὕπαρχος* ut ita dicam eius, qui erat ‚peḥa‘ in ‚Abar Nahara‘, terris cis Euphratem sitis (de Wette: Ersch. u. Gruber s. v. Hebraeer p. 317). Ut erant

ὕπαρχοι satrapae Scheschbassar, quo tempore Iudaei e Babylonia in Palaestinam reverterunt (Esra 1, 8. 5, 14 sq. Stade II p. 100), primis Darei Hyst. f. temporibus Serubbabel (Hagg. 1, 1. Stade II p. 118); Nehemia ab a. 445 (Neh. 5, 14) hoc munere functus est usque ad a. 433 (Stade II p. 187); huc porro sunt referendi et Bagoses ille *ὁ στρατηγὸς Ἀρταξέρξου* Mnemonis a Ioseph. ant. XI 7, 1 commemoratus et *Σαναβαλλέτης ὁ πεμφθεὶς εἰς Σαμάρειαν ὑπὸ Δαρείου τοῦ τελευταίου βασιλέως σατράπης, Χουθαῖος τὸ γένος* (Ioseph. XI 7), qui paullo post pugnam Issicam ubi a rege Persarum defecit vita decessit. In simili denique condicione erant fortasse *Ῥάθυμος* (Cambysis temporibus) *ὁ πάντα τὰ πραττόμενα γράφων* (Ioseph. XI 2, 1) et Esra, quo tempore ut res civitatis ordinaret a. 458 a rege in Palaestinam missus est. (Stade II p. 154.)

16. **Babylonia** Darei Codomanni temporibus sine dubio satrapae paruit, quamquam neque Arrianus neque alii rerum Alexandri scriptores quisnam functus sit hoc munere dicunt; fuisse autem satrapeam ut temporibus Darei Hyst. f. et per se licet suspicari et ea de causa verisimillimum est, quod etiam aliis regni persici temporibus satrapas ibi fuisse satis certis testibus constat; quod ultimis temporibus subito esse mutatum quis est qui credat? Dübnerus igitur (in Arr. edit. ind. p. 324) huius provinciae satrapam sibi invenisse videbatur, cum niteretur Arriani verbis, qui III 8, 5 narrat de pugna ad Gaugamela commissa: *Βουπάρης Βαβυλωνίων ἡγεῖτο* (num eiusdem satrapeae fuerint *οἱ ἀνάσπαστοι Κᾶρες καὶ Σιτακηνοί* qui *σὺν Βαβυλωνίοις ἐτετάχατο* III 8, 5 cll. 11, 5 non diiudicem); sed cave ne hoc loco nimis confidas; docent satis multi loci, quam lubrica sit haec ratio colligendi. Non commemoro Diod. XVII 19, 4, ubi tradit scriptor Spithrobatem Ioniae (et Lydiae) satrapam ad Granicum ducem fuisse *Ὑρκανῶν ἱππέων*; nam quamquam et Medi et Bactriani huic proelio interfuerant, fortasse huc referam Strabonis verba (p. 629 C.), quibus discimus fuisse in Asia minore *Ὑρκάνιον πεδίον Περσῶν ἐπονομασάντων καὶ ἐποίκους ἀγαγόντων ἐκεῖθεν.* At Susianis praeerat ad Gaugamela non satrapa sed filius eius (Arr. III 8, 5), Tapuris, quorum satrapa erat Autophradates, Parthiae et Hyrcaniae satrapa (III 8, 4). Quamquam saepius satrapa ipse dux erat copiarum provinciae, ut Ariobarzanes Persarum (III 18, 2), Bessus Bactrianorum (et Indorum et Sogdianorum), Barsaentes Arachotarum (et Indorum), Satibarzanes Ariorum, Phrataphernes Parthorum et Hyrcanorum (Arr. III 8, 3 sq.). Quod ne idem statuamus de aliis satrapeis, ea impedimur re, quod Arrianus ubi in pugna ad Gaugamela commissa narranda in primis nominibus quo quisque copiarum dux fungeretur munere commemoravit, deinde de hac re plane tacet; utrum de his viris ipse dubitaverit an eos qui aliquando legerent libros hos quoque duces fuisse satrapas ipsos suspicaturos esse crediderit ignoro.

Primus Persarum Babyloniae satrapa nobis notus est Gobryas, si quidem fidem habes Babyloniorum litteris; legitur enim in inscriptionibus nuper inventis Ugbaru — quem Gobryam esse putant viri docti — satrapam terrae Gutium (Kurdistan?), ubi Cyri exercitu Nabonedum regem cepisset, a Cyro Babyloniae praefectum esse (cf. Büdinger, die neuentd. Inschr. über Cyrus p. 13 sq.: Sitz. Ber. d. Wien. Akad. 1880 vol. 97).

A Dareo deinde ibi est institutus Zopyrus anno fortasse 516 (cf. Matzat, Her.'s Angaben über Asien: Herm. VI p. 442); cui satrapeam rex *ἔδωκε ἀτελέα νέμεσθαι μέχρι τῆς ζόης* (Her. III 160; Frontin. III 3, 4 pro Dareo Cyrum nominat). Quodsi credes Ctes. Pers. § 22, paulo ante bellum persicum secundum Xerxe regnante a Babyloniis, qui defectionem moverant, interfectus est. Idem Ctesias auctor est urbem tum esse captam a Megabyzo Zopyri filio (Her. l. l.), hanc ob rem a rege magnis honoribus affecto; quem Zopyri heredem in satrapea patri successisse censet Maspero Gesch. d. Morgenl. Völker (ed. Pietschmann) p. 547.

Num Otaspes ὁ Ἀρταχαίεω, qui in bello persico secundo dux erat Assyriorum (Her. VII 63), fuerit satrapa (cf. de satr. p. 30) non constat.

At post hoc bellum Megapanum, qui a. 480 Hyrcanorum exercitui praeerat, satrapam (ἐπιτροπεύσαντα) fuisse Babyloniae testis est Her. VII 62.

Sequitur Artarius σατράπης Βαβυλῶνος Ἀρτοξέρξου (Longimani) ἀδελφός a Ctes. Pers. § 38 commemoratus, qui Megabyzum Syriae satrapam, quem a rege defecisse anno fere 450 supra commemoravi, regi reconciliat.

Iam paullo post satrapes fuisse videtur Babyloniae Tritantaechmes Artabazi illius, qui ca. annum 475 satrapa fuerat Dascylii, filius; cuius mentionem facit Her. I 192: Τριτανταίχμῃ τῷ Ἀρταβάζου ἐκ βασιλέος ἔχοντι τὸν νομὸν τοῦτον ἀργυρίου μὲν προσήιε κτλ. Iam pridem intellexerunt viri docti (Stein Her. vol. I⁴ p. XV sq., ad I 192; Matzat p. 442) ita eum commemorare Herodotum, ut huic notus fuisse videretur, quare eum quo tempore scriptor Babylone erat ibi fuisse praefectum verisimile esse. Iam cum videatur constare Babylone Herodotum fuisse priusquam versatus est in Aegypto (Her. I p. XIV) cumque in Aegypto eum non ante a. 450, circiter a. 444 versatum esse verisimile sit (Gutschmid, Kl. Schr. I p. 107 sq.), circiter a. 450 Tritantaechmes fortasse praefectus erat Babyloniae.

Si porro habebis fidem [Xenophontis] anabasi VII 8, 25, credes ἄρχοντα Babyloniae Cyri minoris temporibus fuisse Ῥωπάραν quendam, quibus Syriae et Assyriae praeerat Belesys.

De Darei Codomanni satrapa supra disserui; restat ut hic addam, quod Mazaeum Babyloniae tunc fuisse satrapam putare suadeat; Alexandri enim satrapam fuisse in Babylonia Mazaeum tradit Arr. III 16, 4, unde fortasse aliquis coniciat, iam antea eundem hoc munere functum esse. Quocum consentit Curt. VIII 3, 17, qui ‚Babylonia — inquit — demortuo Mazaeo Stameni subiecta est' (cf. Arr. IV 18, 3).

Omitto hic Ἄνναρον τὸν βασιλέως ὕπαρχον καὶ τῆς Βαβυλωνίας δυναστεύσαντα ab Athen. XII p. 530 D secundum Ctesiam commemoratum; non Persarum sed Medorum regis Artaei satrapa erat (cf. Nic. Dam. fr. 10: Gilmore Ctes. p. 100).

17. **Mediam** ut Persida satrapae paruisse, id quod nemo dubitat, certis argumentis comprobare non possum. Quod autem in Dübneri indice Atropates pro satrapa nominatur equidem propterea laudo, quod tradit Arr. III 8, 4 haec: Μήδων δὲ ἡγεῖτο Ἀτροπάτης· ξυνετάττοντο δὲ Μήδοις Καδούσιοί τε καὶ Ἀλβανοὶ καὶ Σακεσῖναι. Qua in re commemoro Alexandrum quoque, postquam Oxydatem, cui hanc satrapeam dederat, revocavit (Arr. III 20, 3, IV 18, 3), Atropaten huic provinciae praefecisse (IV 18, 3. VI 29, 3; aliter res narrat Curt. VIII 3, 17 cll. VI 2, 11). Sed hinc non multum concludas, quod multis satrapeis rex Macedonum pro persicis praefectis alios praeficere debuit. Ut alii satrapae instituti sunt in Aegypto (Arr. III 1, 2: III 5, 2), in Armenia, cui provinciae Sardium arcis praefectus praepositus est (III 16, 5), in Bactriana (III 29, 1), in Caria (I 23, 7), in Perside (III 18, 2 : § 11), in Phrygia maiore (I 25, 3 : I 29, 3). Contra manebant in provinciis suis satrapae Susianorum, Tapurorum (III 23, 7), Parthorum (III 23, 4: V 20, 7), Ariorum (III 25, 1. — Gutschmid, Iran p. 7 pro Parthis nominat Paraetacenos; sed Oxathren, quem his praefecit Alexander secundum Arr. III 19, 2, satrapam fuisse persicum unde demonstrem non habeo.) Ceterum post Alexandri mortem praeter Phrataphernem uni ex Darei satrapis Atropatae pars regni commissa est (Diod. XVIII 3. Iust. XIII 4); parti autem Mediae nomen fuisse ab hoc Atropata satis notum est; cf. St. Byz. s. v. Ἀτροπατία .. ἀπὸ τοῦ ἡγεμόνος Ἀτροπάτου. Th. Nöldeke, Atropatene. ZDMG XXXIV 1880 p. 692 sqq.

De aliis Medorum satrapis pauca nota sunt; neque enim constat Tigranem, qui in bello persico Medis praeerat (Her. VII 62), fuisse satrapam (cf. de satr. p. 30); Arbacam [Xenoph.] anab. VII 8, 25 nominat Mediae *ἄρχοντα*.

Accedunt quattuor nomina, si verum cognovit Nöldeke, Aufs. p. 61, qui cum eis, quae Xen. Hell. I 2, 19 de Medorum defectione (a. 410/9) legimus, coniunxit Terituchmae nomen. Quodsi iure fecerit, habeamus quo referri possint nomina quattuor satraparum a Ctesia commemorata, quae quo pertineant e nomine urbis *Ζάρις* (Ctes. Pers. § 55) minime patet. Terituchmes enim ille filius erat Idernae, soceri Artaxerxis Mnemonis, post patris mortem pro eo satrapa (Ctes. § 53). Hunc ubi a rege defecit, interficit Udiastes quidam *ἰσχὺν ἔχων παρὰ Τεριτούχμῃ* (§ 54); quem quamquam ipsis verbis Terituchmae successisse Ctesias non narrat, et ipse satrapa erat et post mortem eius Mitradates filius (Ctes. § 57. Rehdantz, vitae Iphicr. Chabr. Timoth. p. 160). Manifestum mihi quidem videtur in eadem provincia hos viros satrapae munere functos esse.

18. **Armeniae** Persarum temporibus satrapas praefuisse, ut Dareus Hyst. f. olim voluerat (Her. III 93), non paucis scriptorum testimoniis satis constat; quare quin hoc non sit mutatum ultimis Achaemenidarum temporibus equidem non dubito. In pugna igitur ad Gaugamela commissa duces erant Armeniae copiarum (Arr. III 8, 5) Orontes et Mithraustes (de hoc nomine cf. O. Blau, über einen aram. pers. Siegelstein. ZDMG XVIII 1864 p. 299 sq.); sed eos fuisse satrapas nusquam legimus nec colligere licet quidquam de hac re, quod neque Alexander hos praefecit Armeniae neque scimus utrum unus an duo satrapae tunc illi satrapeae praefuerint. Fortasse enim iam Cyri minoris temporibus duae ibi satrapeae fuerunt. Neque vero nullius momenti esse videtur, quod nomen Orontae in Armenia saepius occurrit; praeter eum quem modo commemoravi cf. Xen. anab. III 5, 17. Iust. prol. X; de satr. p. 75 n. 2; denique post Alexandri mortem nominatur Orontes Armeniae satrapa Diod. XIX 23, 3. Polyaen. IV 8, 3 (cf. Melber, d. Strateg.-Sammlung Polyaens p. 634 sq.). Unde suspicetur fortasse aliquis Armeniam ut Dascylii satrapeam (Nöldeke Gött. Gel. Anz. 1884 p. 294 sqq.) ab Achaemenidis praecipue eiusdem gentis viris datam esse. Quae fuerit haec gens docere videantur Strabonis verba (p. 531 C.) ceterum satis obscura: *τελευταῖος ὑπῆρξεν Ὀρόντης ἀπόγονος Ὑδάρνου τῶν ἑπτὰ Περσῶν ἑνός; Ὑδάρνης* est Vidarna, cuius nomen praebet inscriptio Behistana.

De prioribus Armeniae satrapis quae habeo haec sunt:

Narrat Ctes. Pers. § 47 a. 424, cum Dareus sive Ochus fratrem Secydianum regno privaret, defecisse a rege equitum praefectum Arbarium et Arxanem Aegypti satrapam; *καὶ Ἀρτοξάρης δὲ ὁ εὐνοῦχος ἐξ Ἀρμενίας ἧκε πρὸς Ὦχον καὶ ἐπέθεντο αὐτῷ τὴν κίταριν οὔτι ἑκόντι.* Sed quod ex Armenia venit Artoxares satis validus ut Ochum adiuvaret, equidem nesciam quid de eo iudicem, nisi eum satrapae munere ibi functum esse concedas. At eunuchus erat Artoxares; licetne credere eunuchum fuisse provinciae praefectum? At velim memineris eundem Ctesiam (§ 9) tradere Combapheum eunuchum Aegypti olim praefectum fuisse; quod si scriptor refert, id quidem constare videtur virum rerum et morum Persarum satis peritum hoc fieri posse existimasse. Accedit alter locus commemoratione dignus Arriani (II 25, 4): *εὐνοῦχός δέ τις, ᾧ ὄνομα ἦν Βάτις, κρατῶν τῆς Γαζαίων πόλεως ... ἔγνω μὴ δέχεσθαι τῇ πόλει Ἀλέξανδρον;* cf. Curt. IV 6, 7 ‚praeerat urbi Betis eximiae in regem suum fidei'.

Venimus ad Cyri minoris tempora, quibus quae fuerit Armeniae condicio equidem non perspicio; sed difficultates propono: sint qui nodum exsolvant! Nominatur primum Tiribazus Xen. anab. IV 4, 4: *ὁ δὲ τόπος οὗτος Ἀρμενία ἐκαλεῖτο ἡ πρὸς ἑσπέραν· ὕπαρχος δ᾽ ἦν αὐτῆς Τιρίβαζος,*

ὁ καὶ βασιλεῖ φίλος γενόμενος κτλ'. cf. Diod. XIV 27, 7: *ταύτης (Ἀρμενίας) δ' ἦν σατράπης Τιρίβαζος.* [Xen.] anab. VII 8, 25 eum appellat *ἄρχοντα Φασιανῶν καὶ Ἑσπεριτῶν* (de quibus vide Kiepert, alte Geogr. § 83 sq.). Eundem esse Tiribazum, qui postea in Asia minore Graecis fuit notissimus, nemo quantum scio negat (de satr. p. 63, 2); cui iam Luynes, essay etc. p. 1 nummos tribuit in Cilicia editos (cf. Droysen Z. f. Num. II p. 312. 317); qui si facti sint intra annos 386—380 (id quod voluit Brandis Münzw. p. 236), tunc Armeniae non iam Tiribazus praefuit. — Accedit quod Xen. anab. III 5, 17 legimus: *τούτους (τοὺς Καρδούχους) γὰρ διελθόντας ἔφασαν εἰς Ἀρμενίαν ἥξειν, ἧς Ὀρόντας ἦρχε πολλῆς καὶ εὐδαίμονος* (cf. IV 3, 3). Quae cum ita sint, recte fortasse olim iudicaverunt Vollbrecht ad anab. IV 3, 4 et Koch, Zug der Zehntausend p. 79 duos tunc satrapas praefuisse Armeniae; de finibus autem Armeniae partis occidentalis et orientalis cf. Lauer, Geogr. Armeniens p. V (Faustus v. Byzanz ed. Lauer. Köln 1879). Neque vero alterum fuisse satrapam alterum *ὕπαρχον* (cf. Vollbrecht ed. III anab. IV 4, 4) abhorret ab omni probabilitate.

Item Orontes quidam praefectus Armeniae erat eis temporibus, quibus potentissimi regni persici satrapae a rege defecerunt (de tempore cf. de satr. p. 68) secundum Iust. prol. X, qui narrat regem eum in Syria esse bello persecutum; quocum loco reconciliare studui olim ea, quae tradit Diod. XV 90, ubi scribere volui pro *τῆς Μυσίας σατράπης : τῆς Ἀρμενίας σατράπης* (de satr. p. 75, 2). Ad hunc ipsum virum pertinere videtur inscriptio graeca tertii aut secundi saeculi, quam invenies in Revue archéol. III. IX 1887 p. 88 sq. vel in libro, qui inscribitur: Ergebnisse der Ausgrab. z. Pergamos (3. vorläuf. Bericht) 1888 p. 56 sq., ubi haec legunt: *Ὀρόντης δὲ Ἀρτασύρου, τὸ γένος Βάκτριος, ἀποστὰς ἀπὸ Ἀρταξέρξου τοῦ Περσῶν βασιλέως ἐκράτησεν τῶν Περγαμηνῶν κτλ'.*

Denique commemorandus est Codomannus, qui regis cognatus (Diod. XVII 5, 5) priusquam regnum adeptus est ab Ocho rege est praefectus Armeniis (Iust. X 3, 4).

Alexandrum Mithrenen satrapam Armeniae fecisse constat, qua in re cf. nomen Mihrdat in libro Mosis Chorenensis (vers. germ. Laueri p. 65. Regensb. 1869).

19. **Cappadociae** erat *ὕπαρχος* Alexandri temporibus Mithrobuzanes (Arr. I 16, 3), qui occidit ad Granicum; de quo Diod. quoque (XVII 21, 3) narrat: *ἔτι (ἔπεσε) Μιθροβουζάνης ὁ Καππαδοκῶν ἡγούμενος.* In pugna ad Gaugamela commissa eorum dux erat Ariaces (Arr. III 8, 5), ubi Alexander iam antea eorum terrae praeposuit Sabictam (II 4, 2). Quoniam igitur *ὕπαρχον* et pro satrapa et pro satrapae legato ab Arriano adhiberi intelleximus (de satr. 76, 2), cum Nöldeke Gött. Gel. Anz. 1884 p. 293 Cappadociam fuisse aliquando satrapeam mihi comprobaverit et Alexander quoque terrae satrapam praefecerit, Mithrobuzanes satrapa fuisse videtur. Strabo p. 534 C. refert Persas Cappadociam in duas divisisse satrapeas; qua in re eum errasse iam Meyer, Gesch. d. Kgr. Pontus p. 31 sq. intellexit: ortus esse videtur hic error, quod Persarum temporibus praeter satrapeam fuit pars Cappadociae subiecta genti Otanis (cf. Meyer l. l. p. 28).

20. **Erythraei maris accolis** in Darei exercitu (Arr. III 8, 5) praesunt Ocondobates Ariobarzanes Otanes; quae satrapea respondit, nisi fallor, Darei satrapeae decimae quartae (Her. III 93).

Atque haec quidem de viginti Darei Codomanni satrapeis, quae fuisse videntur, et de satrapis, qui singulis Achaemenidarum provinciis praefuerunt! Quam ultimam regni discriptionem quam sit difficile comparare cum Herodoti, cum ne Arrianus quidem res satis luculente exponat multasque gentes ab Herodoto commemoratas omiserit, nemo nunc non videt. Sed fortasse tabula, quam addidi, aliquid commodi praebeat ei, qui primam et ultimam satrapearum discriptionem commode conferre velit.

Satrapeae quae fuisse videantur

Darei Hyst. f. temporibus	Darei Codom. temporibus
—	1. Persis
satr. I Ionia Caria Lycia satr. II Lydia	2. Lydia Ionia 3. Caria 4. Lycia
satr. III	5. Phrygia maior 6. Phrygia minor 19. Cappadocia
satr. IV	7. Cilicia
satr. V	15. Syria
satr. VI	8. Aegyptus
satr. VII ?	12. Arachosia Sarangaei (cf. satr. XIV) Indi? (cf. satr. XX)
satr. VIII	9. Susa
satr. IX	16. Babylonia
satr. X	17. Media
satr. XI (Tapuri? Hyrcanii?) satr. XVI Parthia Aria Sogdiana (cf. 11)	10. Tapuri 14. Aria 13. Parthia Hyrcania
satr. XII	11. Bactra Sogdiana (cf. satr. XVI) Indi (cf. satr. XX)
satr. XIII	18. Armenia
satr. XIV (— Sarangaei cf. 12)	20. Erythraei maris accolae.
satr. XV. XVII. XVIII. XIX	— — —
satr. XX (cf. 11. 12)	— — —

Denique addam indicem eorum virorum, qui satrapae aut fuerunt aut fuisse putantur; in quo praemoneo nominibus eorum, quorum munus mihi incertum est, adscripta esse ea, unde aut cui satrapae fuisse videantur intellegas aut dubiam esse rem cognoscas. At non solum in hoc indice sed toto libello quaeso memor sis non facile talibus in commentatiunculis nihil omitti posse, quare quin alii ea, quae collegi, completuri sint nequaquam dubito.

Satraparum qui commemorantur nomina.

Abrocomas, σατράπης Suid. s. v. p. 12.
Abulites, Susa 334.
Achaemenes, Aegyptus 484 — ca. 460.
Ada, Caria 344–340.
Adaeus, Syria 445.
Anaphes, Susa 480? (de satr. p. 30).
Arbacas, Media: [Xen.] anab. VII 8, 25.
Areinus, = Arsites? Phrygia (Strabo) p. 7.
Ariabignes, Ionia 480?
Ariaeus, Phrygia? 395 (Diod.).
Ariamenes, Bactra? 485.
Ariaramnes, Cappadocia: Ctes. Pers. § 16.
Ariarathes, Cappadocia cf. Nöldeke G. G. A. 1884 p. 293.
Ariobarzanes, Dascylium — 387 — c. 365.
Ariobarzanes, Persis 334.
Arsames, Cilicia — 334. 333.
Arsames, Phrygia? (Polyaen.)
Arsites, Dascylium — 340 — 334.
Artabazus, Dascylium c. 476 — 474 —.
Artabazus, Dascylium — 360 — 353 —.
Artacamas, Phrygia: [Xen.] anab. VII 8, 25. cf. Xen. Cyrop. VIII 6, 7.
Artapanus, Bactra; Artax. Longim. regn. (Ctes.)
Artaphrenes, Sardes c. 511—493.
Artaphrenes, Sardes — 480 —?
Artarius, Babylonia c. 450.
Artemisia, Caria 353—351.

Artimas, Lydia: [Xen.] anab. VII 8, 25.
Artoxares, Armenia 424?
Arttuambara, Lycia (satrapa?)
Artyphius, Arachosia 480? (de satr. p. 30).
Arxanes, Aegyptus 424.
Aryandes, Aegyptus — 522 — (493?).
Astyages, Hyrcania, Cyri temporibus.
Atizyes, Phrygia 334.
Atradates, pater Cyri, Persis: Ctesias.
Atropates, Media 334.
Autophradates, Sardes — 362 — (Lenschau: ab a. 391).
Autophradates, Tapurorum satrapa. 334 (ap. Curt. VI 4, 24: Phradates).

Bagaeus, successor Oroetis?
Barsaentes, Arachosia 334.
Belesys, Syria et Assyria: [Xen.] anab. VII 8, 25. Συρίας ἄρξας anab. I 4, 10.
Belesys, Syria 351.
Bessus, Bactra 334.
Brocubelus, Syria?
Bupares, Babylonia 334?

Codomannus, Armenia Ocho regn.
Combapheus, Aegyptus (Ctesias); Cambysis tempp.
Corylas, dynastes Paphlagoniae (c. 400).
Cyrus, Lydia, Phrygia mai., Cappadocia, (Ionia, Aeolis mer.) 408—401.

Dâdarshis, Bactra (Beh.).
Datames, dynastes Paphlagoniae; Cappadociae satrapes Diod. XV 91.
Ddennefele, Lycia (satrapa?)
Dernes, Phoenice et Arabia: [Xen.] anab. VII 8, 25.

Epixyes, Phrygia; Themistoclis temporibus.
Euaeses, Aegyptus? (Ps. Arist. oec. II).

Gobryas (= Ugbaru), Babylonia Cyri temporib. (inscr. Babylon.)
Hecatomnus, Caria 377.
Hydarnes, Dascylium — c. 484 —?
Hystaspes Darei pater, Persis 522 (Her. III 70).
Hystaspes Darei pater, Parthia? c. 521 (Beh.)
Hystaspes, Bactra? 480.
Hystaspes, Bactra 465.

Idernes, in Media ante Terituchmen?
Idrieus, Caria 398.
Idrieus, Caria 351—344.

Mardonius, satrapa Asiae minoris 492? de satr. p. 26.
Masistes, Bactra 479.
Maussollus, Caria 377—353.
Mazaces, Aegyptus, post a. 333.
Mazaeus, Cilicia — 360 — 351 —; (post a. 351 ‚satrape de la Ciseuphratique et de la Cilicie').
Megabates, Dascylium — c. 476.
Megabernes, Βαρκανίων σατρ'. 529 (Ctes.) p. 11.
Megabyzus, Syria ca. 450.
Megabyzus, Zopyri successor?
Megapanus, Hyrcania 480? de satr. p. 30. Babylonia post a. 480.
Mentor, σατράπης τῆς κατὰ τὴν Ἀσίαν παραλίας (Diod. XVI 52 a. 349) Lenschau.
Mithradates, Udiastae successor.
Mithradates, Lycaonia et Cappadocia: [Xen.] anab. VII 8, 25.
Mithraustes, Armenia 334?
Mithrenes, Diod. XVII 21, 7 p. 17.
Mithrobuzanes, Cappadocia 334.
Mitrobates, Dascylium — 522/1.

Ochus, Hyrcania; Artax. Longim. rege.
Oebares, Dascylium — 493.
Oroetes, Sardes — 529 — c. 521.
Orontas, Armenia 401?
Orontes, Sardes post a. $362/_1$? (Lenschau); Armenia.
Orontes, Armenia 334?
Otanes, Dascylium c. 511 — 497 —?
Otaspes, Babylonia 480?
Othontopates, Caria 335—334.
Otys = Cotys, dynastes Paphlagoniae (c. 395).
Oxyartes: Curt. VIII 4, 21.

Pharnabazus, Dascylium c. 414—390 (-387?) Cilicia intra a. 387—373 (nummi).
Pharnaces, Dascylium — 430 — c. 414.
Pherendates, Aegyptus 350.
Phradates v. Authophradates.
Phrataphernes, Parthia 334.
Pissuthnes, Sardes — 440 — 424 (—c. 414?).
Pixodarus, Caria 340—335.
Pythagoras, Sardes? ante a. 440; nummi p. 6.

Rhoesaces, Sardes — 351 —.
Rhoparas, Babylonia: [Xen.] anab. VII 8, 25.

Sabaces, Aegyptus — 333.
Saripadates, Bactra? nummi.
Sarsamas, Aegyptus ca. 454.
Satibarzanes, Aria 334.
Sisimithres, Curt. VIII 2, 19.
Sphendadates, Tanyoxarcis successor; Ctes.
Spitaces, Derbicum satrapa (Ctes.) p. 11.

Spithridates, Sardes — 334.
Struthas, Sardes 392. 391 —?
Sybares, Persis, Cyri temporibus, Iust. I 7, 1.
Syennesis, Cilicia c. 500.
Syennesis, Cilicia — 480.
Syennesis, Cilicia — 401 —.
Tamos, Ionia (Diod. XIV 35 a. 400.) Lenschau p. 150.
Tanyoxarces, Bactra etc., Cambysis temporib. (Ctesias).
Tarcamus, Cilicia ante a. 362; nummi. p. 7.
Tattenai, Syria 520.
Terituchmes, Media? ca. 410.
Thuys = Thys, dynastes Paphlagoniae (c. 380).
Tigranes, Media 480? (cf. de satr. p. 30).
Tigranes, Ionia 479?
Tigranes, σατράπης St. B. s. v. *Χολοβητήνη*.

Tiribazus, Armenia 401.
Tiribazus, Tithraustis successor? — 392 (388?)
387 — { 385? / 380?
Tiribazus, Cypri satrapa? Polyaen.
Tissaphernes, {
— 413 — 408 Lydia, Ionia, Caria.
408-401 Caria, (Ionia), (Aeolis mer.?)
401-395 Caria, Lydia, Phrygia mai., Cappadocia, Ionia, Aeolis mer.
Tithraustes, Sardes 395 —.
Tritantaechmes, Babylonia c. 450.
Udiastes, Terituchmae successor.
Vivâna, Arachosia 521.
Xenagoras, Cilicia 479 —.
Żopyrus, Babylonia c. 516 —.